



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. Sebastiani Henrici Penzingeri, Consistorialis
Passaviensis, Decani, & Parochi in Trauttmanstorff ad
Laitam Bonus Ordo Triplicis Formatae Concionis Moralis In
Omnia Festa Sanctorum In Amplissima ...**

Penzinger, Sebastian Heinrich

Solisbaci, 1698

Disc. XVIII. Clementiam Virginis loquitur orbis. Quàm sit Maria clemens ac benigna; perpulchris Conceptibus demonstratur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-51763](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-51763)

DISCURSUS XVIII.

Sancta Maria clementissima Virgo est.

Exordium.

INtima olim cordis tristitiâ affligebatur Propheta Dominus Isaias, & amarissimo lachrymarum imbre deplorabat, non fuisse suo tempore repetibilem in terra hominem, qui Deo irato, & mille supplicia minanti, potenti intercessione sese opponere, manusque jam ad immittenda mala extensas restringere, & tenere valeret. *Non est (inquit) qui consurgat, & teneat te.* Isai. 4. cap. Feliciores certe, & fortunatiores existimare liceat, quòd clementissimam temporibus hisce habeamus cœlorum Reginam, qua potentissimâ suâ interventione, ac materno suffragio, tempestuosum divinæ iræ, atque Justitiæ mare tranquillat, & cum omnes Sancti à facie irati Judicis se retrahunt, & accedere impidant, hæc sanctissima Virgo Dei Mater, ut omnium Sanctorum Regina, audacter & fideliter accedit, & efficaciter pro nobis supplicando, Filii Judicis extensas in vindictam minus restringere, & flagellum eripere fatagit, nec antea errare desinit, quàm Filii iram placaverit, & reconciliato homini gratiam impetraverit, vel ex hoc solo capite clementissima Virgo; huic invictæ clementiæ SS. Patres unanimiter

SS. Patres.

plaudunt. *Te solam, ô Maria! pro Sanctâ Ecclesiâ sollicitio præ omnibus Sanctis scimus, qua impetras inducias transgressibus, ut renuntient suis erroribus.* Tom. 10. in Append. lect.

S. Augustinus.

83. scribit S. Augustinus. *Piissimus Deus providit nobis de invocata, qua tota mitis & suavis est, nihil in eâ invenitur asperum,*

S. Antonin.

rum, nunquam de eâ verbum processit durum. effatur S. Antoninus part. 4. tit. 15. cap. 14. §. 7. *Quis astimare valet, quanta in ipsa Maria fuit impingatio gratiarum, cujus gratia*

S. Bonaventura.

impingata sunt tot millia animarum? exclamat S. Bonaventura.

ra in Spec. B. V. lect. 9. Scio Dominam, quia benignissima es, & amas nos amore invincibili, quos in te, & per te Filius tuus, & Deus tuus summam dilectione dilexit: quis scit, quoties refrigeras iram Judicis, cum iustitia virtus a presentia Deitatis egreditur: in manibus tuis sunt thesauri miserationum Domini, & sola electas, cui gratia tanta conceditur. Virginem alloquitur S. Petrus Damianus. ferm. 1. de Nat. B. V. Magnum est in quolibet sancto, quando habet tantum de gratia, quod sufficit ad salutem multorum: sed quando haberet tantum, quod sufficeret ad salutem hominum de mundo, hoc est maximum, & hoc est in Christo, & in beata Virgine; nam in omni periculo potes salutem obtinere ab ipsa Virgine gloriosa. optimè de eâ scribit Doctor angelicus S. Thomas de Aquino. in cap. 7. Matth. Tandem concludit paulo fustius Richardus à S. Laurentio de Laud. B. V. lib. 4. Maria naturaliter clemens, & misericors est, & ejus pietas semper suscipit incrementum, unde & ei specialissime convenit illud Job: ab infantia crevit mecum misratio, & de utero matris mea egressa est mecum: ipsa etiam, quantum in se est, miseretur omnium, quia omnia potest, & dissimulat peccata hominum propter penitentiam: Item speciosa est misericordia ejus in tempore tribulationis, sicut pluvia tempore siccitatis: nec mirum, si de peccatoribus sollicita est, cum pro illorum salute eum concepit, qui non venit vocare justos, sed peccatores ad penitentiam. Innatam Virginis Mariæ Dei Matris clementiam pro gratia Spiritus S. exoremus, ejusque auxilio elaboratos Conceptus piissimæ Dominæ humiliter dedicemus.

S. Petrus Damianus.

S. Thomas de Aquino.

Richardus à S. Laurentio.

CONCEPTUS I.

In sermone cœlestis nuntii turbatam Virginem, consolatur Archangelus Gabriel. Lucæ 1. cap. Ne timeas Maria, invenisti gratiam apud Deum. Ad inveniendum, quærere prærequiritur, & istantum, qui quærit, propriè dicitur invenire: sic ipsa veritas Christus dicit Joan. 2. cap. Quærere, & invenietis. Et iterum: Qui quærit, invenit. Nonne virgo benedicta,

Confirmatio, seu Devotio.

dicta, jam antequam turbaretur, gratia plena erat? quam ergo gratiam quæsit? vel cui eam invenit? respondet purpuratus S. R. E. Cardinalis Hugo in cap. 1. Lucæ. *Ne timas Maria, invenisti enim gratiam apud Deum, quam nemo ante potuit invenire; invenisti, quod Eva amiserat; invenisti, quia quæstivisti, ubi erat, scilicet apud Deum, qui est locus gratiarum. Sed quam gratiam invenit beata virgo? interrogat S. Bernardus ferm. 4. de Assumpt. Virg. & sibi ipsi respondet. Gratiam utique, quam quærebat, Dei & hominum pacem, mortis destructionem, vitæ reparationem. ac proinde exclamat: Quis ergo misericordiam tuam, o benedicta, longitudinem, & latitudinem, sublimitatem, & profundum queat investigare? nam longitudo ejus usque in diem novissimum invocantibus eam subvenit universis; latitudo ejus replet orbem terrarum, ut tuâ quoque misericordia plena sit omnis terra; sic & sublimitas ejus, Civitatis perpennæ invenit restorationem; & profundum ejus, sedentibus in tenebris, & in umbrâ mortis, obtinuit redemptionem. Quarta igitur est gratia, quam non sibi, sed tibi, o homo, quæsit, & invenit Virgo clementissima, de te tam sollicita fuit, ut gratiam ab Evâ tibi perditam, Mater gratiâ plena tibi quæreret apud Deum, ac inveniret.*

CONCEPTUS II

Nomen JESU Christi animarum sponsi, oleo effuso comparat Ecclesia. Cant. 1. cap. *Oleum effusum nomen tuum.* Quid dulcissimum hoc nomen oleo comparatur? ob divites acutiles olei proprietates, quæ commodè JESU conveniunt oleum fructus Olivæ, lenitivum, dulce, & ad curanda vulnera est salutare; amarissimam Patris sui celestis iram dulcoravit JESUS Unigenitus Dei, & Mariæ Virginis filius, severissimam supra humanum genus divinæ justitiæ latam sententiam lenivit, & lethalia animarum nostrarum vulnera sanavit. Ritò ergo oleum effusum nomen JESU, non ab alio utitur, quàm à Matre Virgine undequaque largissimè effusum, &

per angelum de coelo delatum, singulari privilegio vocari concessum est. *Vocabis nomen eius Jesum.* Lucae 1. cap. hinc etiam olivæ speciosæ in campis, cujus fructus est oleum dulce, seipsam comparare dignata est, ut ad exhibendam nobis misericordiam, omni tempore paratam esse intelligeremus, ut benè advertit S. Antoninus. part. 3. tit. 31. cap. 4. *Quia ipsa Virgo gloriosa misericors est, ad omnes comparat se olivæ dicens: Eccl. 24. Quasi olivæ speciosa in campis; olivæ significat misericordiam, quia oleum fructus est lenitivum, & dulce; ad olivam, quæ est speciosa in campis, omnes possunt accedere, & accipere fructum ejus: sicut ad Mariam, & justis, & peccatores accedere possunt, ut inde misericordiam accipiant.* consentit Richardus Heremitanus. lib. de eloquiis nominis Jesu. *Oleum misericordiae symbolum est, effusum dicitur, quia quod effundimus, liberaliter emittimus.* & S. Joannes Chryostomus. *Sicut oleum reliquis liquoribus supernat, ita misericordia Dei excellit alias actiones.* canente psalmista: *Miserationes ejus super omnia opera ejus.* Psal. 144. v. 9. Nec non S. Bernardus. in deprecat. ad B. V. *Si Jesus est oleum lenitivum ac salutare, uterus Mariæ oleo hoc repletum vas, & lampas est, misericordia Jesu Christi repleta Mater.* Et iterum. *Nec mirum, ô Domina! si tam copioso oleo misericordiae tui cordis perfusum est solatium, cum illud inestimabile opus misericordiae, quod predestinavit Deus ante sæcula, in redemptionem nostram, primum in te à mundi Artifice sit fabricatum.* In confirmationem discurret B. Albertus Magnus. tract. super Missus est. quæst. 75. *Quidquid est causa causa, est causa causati, at beata Virgo est causa Filii, Filius autem totius boni causa, omnisque misericordia, ergo & Mater erit totius misericordiae causa: quidquid igitur misericordia, Filius exhibuit, totum hoc nobis Mater contulit, quæ Filium genuit, in quo nobis omnia donavit: ex his patet, beatissimam Virginem, in misericordiam excellere omnem creaturam, quia nimirum ipsius mundi misericordia causa extitit. Virgo clementissima.*

CON-

CONCEPTUS III.

Turrim appellari beatissimam Virginem, ex eo nobis epitheto plus quam certò constat, quo illara sancta Mater Ecclesia, in Litaniis Lauretanis honorare solet. *Turris eborum*, cui correspondet Sponsus in Canticis. 4. cap. *Collum tuum, sicut Turris David, mille clypei pendent ex eâ.* Turrim appellari Mariam Virginem Dei Matrem, nullatenus miror, sicut enim ab altitudine, Turris commendantur, sic Virgo Deipara, quia omnes Beatorum, ordines excelisior Angelis, gloriosa transcendit, sub turris appellatione ab Ecclesiâ veneranda proponitur, sed quid indicare volunt mille clypei, qui pendent ex eâ? respondet S. Thomas Aquinas super Cant. *Mille clypei, id est, remedia contra pericula pendent ex eâ,* quasi diceret: quemque miserum, sive in periculo evidenti constitutum juvandi, mille modos Virgini ad juvandum paratissimæ, semper in promptu esse. Clarius adhuc magnum Ecclesiæ lumen S. Augustinum tom. 5. lib. 20. de Civit. Dei. cap. 7. colloq. 1206. *Mille in turris, numerum significat universalem, per mille ergo clypei, pendent in Mariâ, intellige omnem excogitabilem numerum, modum, ac medium nos adjuvandi, tuendi, ac protegendi.* Emphaticè S. Thomas à Villâ Novâ, Conc. 1. de Assumpt. B. V. *Facta est hæc turris, Ecclesia propugnaculum, & peccatorum unicum refugium, ut ad ipsam confugiant omnes rei, omnes mæsti, omnes afflicti, & eâ protegente, liberentur ab hoste. O homo! in quavis tribulatione, ad Mariam fuge, sive peccatis afflictus, sive reus aliquibus turbatus, hanc turrim petito, ad Mariam confugio, mille enim clypei pendent ex eâ. Mille juvandi media, tibi porrige Maria, Virgo clementissima.*

CONCEPTUS IV.

Staturam Sponsæ suæ Spiritus S. palmæ assimilat. Cant. cap. *Statura tua assimilata est palmæ.* Quid laudis habet palma, quòd Virginum Virgini, in staturâ suâ meruit assimilari de palmâ observat S. Vincentius Ferreriensis, quòd sit victoriam signum

signum, sic palmas in manibus sanctorum vidit Joannes in Apocalypsi 7. cap. *Palma in manibus eorum.* Quia ergo Maria de tribus hostibus, mundo nimirum, carne, & diabolo victrix gloriose in caelum assumpta est, recte statura ejus palmae assimilatur. Ita sanctus de Assumpt. B. V. M. serm. 1. *Palma significat Victoriam, quam Virgo habuit de mundo per humilitatem, de diabolo per pauperitatem, de carne per purissimam virginitatem.* Melius tamen ad nostrum propositum advertit B. Albertus Magnus in Bibl. Maria. lib. Ecclesiast. num. 6, quod *palma defensionis signum sit, expansis enim ramis in modum manus humanae habet folia,* neque ut aliae arbores ramos suos sursum dispergit, sed deorsum terram versus extendit, quasi manus adjutrices porrigens, cui vis servire parata, quemlibet tueri volens, ac liberali manu suaves offerens fructus. De palmâ scribit Caelius Rhodiginus. lib. 5. lect. antiq. c. 6. *avect. in p. 42. In Babyloniis litteris compertas esse palmae arboris trecentas & sexaginta utilitates.* De palmâ Indicâ, graves scribunt Authores, quod iis populis, penes quos crescit, omnia illa, quae iis in sustentationem, nec non in commercium sunt necessaria, liberaliter subministrat, hinc comuni emblemate dicta est: *Ad omnia utilis.* Palmâe similis statura Virginis Mariæ est, quæ ad imitationem palmæ, triplicem, quam obtinuit Victoriam, non tam sibi reservat, quam nobis eam communicare, ac protectione maternâ tueri parata, potentissimas manus suas ad nos benignissima Domina extendit, atque in iis benedictum fructum ventris sui Jesum Christum liberalissimè nobis porrigit, Virgo clementissima, *per omnia utilis.* palmæ similis, Alma.

CONCEPTUS V.

Virginis Dei Genitricis nomen *Maria*, anagrammaticè *amari* derivationem suam habet, nempe ex ipsa sui nominis ethymologiâ mari Maria Virgo comparatur. In quo consistit hæc similitudo? *Maria interpretatur mare;* (inquit Dionysius Carthusianus. serm. 3. de Laud. B. V. art. 30.) *quia sicut nullus valet guttas maris dinumerare; sic misericordiam, gratia*
J
exce-

excellentiā, gloriāque Maria nullus valet exprimere. Per Mariam tanquam per mare venit Christus in mundum, & per eam tanquam per mare, transeunt veri Israelitae, ad portam felicitatis aeternae submersis Aegyptiis, id est, demonibus, & vitii. scribit Richardus à S. Laurentio. lib. 1. de Laud. B. V. cap. 1. *A mari Maria nuncupatur, quia non est terra sterilis, quae supra mare situata, non abundet omnibus bonis; sic & beata Virgo, omnibus peccatoribus, juxta ipsam per devotionem positū, gratiarum copiam confert.* juxta expositionem Incogniti. in Psal. 71. v. 8. id, quod S. Joannes Baptista revelavit S. Brigittae. lib. 2. Revelat. cap. 31. *In quacunque necessitate fuerit homo, siculi Reginam, Matrem Dei, toto corde invocaverit, salvabitur.* Ipsa namque homini semper fuit, est, & erit Virgo clementissima.

CONCEPTUS VI.

Cisternam Bethlehem juxta portam, Richardus à S. Laurentio. lib. 1. de Laud. Virg. Mariam intitulat. *Electam* ut Mariam, dilectissimi ejus sponsae aulici, sancti Dei Angeli appellant. *Virgam de radice Jesse,* Propheta Isaias cap. 11. Mariam cognominat. An forte aliud, quam meram Virginis clementiam insinuare tituli isti intendunt? *Cisterna juxta portam* aquas suas omnibus liberaliter offert, & quantum in se est, toties quoties, tot quot cuique libet, aquas communicare parata existit, ad cisternam publicam se refocillare concessum est: cisterna toti humano generi communis Maria Virgo est, dulcissimas gratiarum suarum aquas, quin & ipsum gratiarum fontem Jesum Christum communicare paratissima, iis omnibus vel maximè, qui davidico desiderio, de dulcedine hujus cisternae refocillari concupiscunt. Ita Richardus supra citans *Hac est cisterna Bethlehem. 2. Regum. 23. juxta portam, quia omnes transeuntes vult, quantum in se est, satiari, unde clamat Eccl. 4. Transite ad me omnes, hujus cisternae aqua, Christus Dominus est, qui est fons aquae salientis in vitam aeternam, Joan. 4. hanc aquam concupivit David. Electam ut sol, Cant. 6. cap. Mariam Virginem Angeli obstupescunt, quia ut explicat idem Richardus*

cap. 7. *Sol tant a liberalitatis est, quod a nullâ creaturâ, quantumcumq; fatense & sordida, si sit ei exposita, radios suos avertit; similiter nec Maria, a quantumcumq; vilissimo peccatore ipsam fideliter invocante, avertit respectum pietatis suæ. Et iterum lib. 7. Sol, ex quo mane surrexerit, præstolatur totâ die ad ostium, paratus intrare domum, si aperiat ei; similiter & Maria, ex quo ascendit in cælum, videtur dicere cum Filio: Ego sto ad ostium, & pulso. Quamprimùm nunc aperit homo januam cordis sui, Mariæ implorat auxilium, gratiæ suæ splendore eum illustrat, bona omnia præstat, & clementiam liberalissimè elargitur. Sub figurâ virgæ Jesse, & non Cedri, Mariam repræsentat Isaias Propheta, hoc nobile ingenitum sibi virga habet, quod, quomodo, quando, & quotiescunque libet, flecti se sinat; Maria virga esse in prophético prævisa est spiritu, quia ab homine in necessitatibus constituto, quantumvis onusto peccatis, dummodò corde contrito ad eam recurrat, omni modo ac tempore, ad clementiam flecti sese permittit. Ita Virgo ipsa dilectæ famulæ suæ Brigittæ hisce verbis revelavit. *Quantumcumq; homo peccat, si ex toto corde, & verâ emendatione ad me reversus fuerit, statim parata sum recipere revertentem, nec attendo, quantum peccaverit, sed cum quali intentione redeat.* Virgo verè clementissima.*

Ergo corde contrito sub potentissimum Virginis Dei Ge- Epilogus
nitricis clementissimæ præsidium, eâ, quâ par est, devotione confugiamus, exclamantes cum seraphico Bonaventura. in Psal. 111. *Salvos nos fac, Mater pulchra dilectionis, fons clementia, & dulcior pietatis.* Amen.

*Experièrè piàm Matrem cum prole Mariam
In gemitu labis, si cor utriq;e dabis.
En quàm clementem, non despicit illa gementem,
Det tibi Virgo vale, ne mori are malè.*

¶ 2

DL